Author: Schröder, Johann Joachim, 1680-

Title: Dissertatio philologico-histori
[microform] / quam praeside
defendendam suscipit Johann
Luttringhausen] ...

Imprint: Marburgi Cattorum [i.e. Marburg
acad. typogr., 1720.

Description: 2 v. ; 21 cm.

Series: History of religions preservat

Other titles De pseudoprophetis.

Notes: Diss. -- Marburg, 1720 (J. G.
respondents)
Includes bibliographical refer
Microfilm. Chicago : Universit
reel ; 35 mm. (History of r
Text in Latin and Hebrew.

Subjects: Prophets -- Early works to 180
Prophets in the New Testament

Other entries: Badenhausen, Johann Georg.
Luttringhausen, Abraham.

DISSERTATIO PHILOLOGI

DE

PSEUDOPRO

PRIMA,

QVAM

PRAESID

J. JOACH. SCH

Hist. Eccles. & Lingg. Sacr. atq
sore Ord. Acad. Biblio

PRO QVADRIENNAL

IN AVDITORIO PH

Proxima XVII. Februarii

Horis consuetis,

In Publico Doctiss. Dnn. COMMI

Defendendam suscip

JOHANN. GEORGIU

Grebensteina-Ha

MARBURGI CAT

Typis, PHILIPPI CASIMIRI M

OLOGICO-HISTORICA,

E

ROPHETIS,

MMA,

AM

SIDE

SCHRÖDERO,

acr, atque Orient. Profes-

Bibliothecario,

NALI SPECIMINE,

PHILOSOPHICO

ruarii MDCCXX,

onsuetis,

MMILITONUM conflictu

am suscipit

RGIUS Badenhausen/

ina-Hassus.

CATTORUM

IRI MüLLERI, Acad. Typogr.

R. Kraft

DEO PRÆSIDI

ATQUE

OPPONENTIBUS.

בשה

DISSERTATIONIS DE PSEUDOPROPHETIS

CAPUT PRIMUM.

SUMMARIA.

§. I. DE Fundamento & Origine falſorum Prophetarum Διάσκεψις. Scopus Differentis ac Votum.

II. Pſeudopropheta Vocabulum, Ejus ſimilia & Homonyma. Vox נביא de Pſeudoprophetis. Loci difficiles Hoſ. IX. 7. Mich. II. 11. expliciti. Verſio Vulgata & τῶν ό rejecta, Targum Jonath. laudatum. Pſeudoprophetae munus quaeſitum duplex.

III. Ex oppoſito, ὄντως Propheta unde נביא nominetur. Vocis ſignificatio, Derivationes variae, vera propoſita, & demonſtrata. Differentia inter הנבא & התנבא aliis quaeſita, quatenus admittenda. Significatus formae התפעל. Prophetarum & Prophetiſſarum numerus e Talmudiſtarum ſententia, rejecta, rationes additae.

IV. Προφήτης unde dictus, quid apud Vett. Gentiles. Diſtinctus ab Ὑποφήτης, & Μάντις ex Platone. Vſus Vocis apud LXX; & S. Scriptores N.T. Epimenides quo ſenſu Propheta, & Tireſias.

V. Latinis Divini ac Vates, Θεομάντεις, ab artificialibus diſtincti, Prophetae quando dicti. Patribus & Poëtis Chriſtianis adhibita Vox. Ejuſdemque Vſus & Catachreſis.

§. I.

SCitum, & omnium teste temporum experientia firmatum est, πᾶσιν ἀνθρώποις ἔρως τῆς μελλόντων ἐπιστήμης ἐνίδρυται, καὶ διὰ τὸν ἔρωτα τοῦτον ἐπὶ θυτικὴν καὶ τὰ ἄλλα εἴδη τρέπονται μαντικῆς, ὡς δι᾽ αὐτῶν τὸ σαφὲς ἀνερεύσαντες, τὰ δὲ ἀσαφείας γέμει πολλῆς, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀεὶ διελέγχεται, *inesse hominibus tale futura praesciendi desiderium, per quod ad aruspicinam, aliasque divinandi artes deflectant, harum ope certa & perspicua quaerendo, cum ipsae sint multa obscuritate refertae, & nunquam non ex se ipsis redarguantur*, ut loquitur *Philo de Monarch. Lib. I. sub fin.* Adeo enim commune est mortalium animis insitum illud futura praenoscendi, sibique praespiciendi, votum ac desiderium, ut, quod vel maxime rerum suarum satagentes angat, & ad extremam usque analysin vix deserat, naturale quodam modo dici mereatur. Immortalis sane, quem circumgestamus, spiritus, curandae sibi felicitatis avidissimus, non sibi tantum, sed &, cui junctus est, corpori ita bene vult, ut nunquam non vel contingentium bonarum spe; vel adversarum rerum metu, se affici intime sentiat. Suum quippe commodum, bonum quod est vel videtur, utile aut jucundum, quisque spectat; hic quidem ut praesens, ille ut futurum, uterque de ratione id consequendi solicitus; alius periculum sibi metuendum ut averruncet anxius, vel ob illatum aliquod malum vindictae cupidus: omnes, nisi se suaque Divinae committere providentiae didicerint, & ad eludendos fortunae casus pectus probe munitum habuerint, fata, quibuscunque possunt modis sollicitant. Ea enim, cujus conscii sumus, humanae mentis in cognoscendis futuris, physicis forsan & quibusdam mathematicis, angustia, majorque in aliis tantum non omnibus

bus incertitudo & ignorantia, ad indelebilem illum nos ducit perfectissimi Conditoris characterem, omnia, antequam fiant, praescientis, & dirigentis, Dei ideam. Apud ipsum futurorum omnium, ut praesentium, tabulis quasi descriptos, thesauros haberi reconditissimos facile intelligimus, sed non nisi familiaribus & necessariis recludendos: nihilominus, conscientia quemvis ἐν τοῖς διαλογισμοῖς redarguente, & ab aditu Numinis arcente, perversissimi quique solatia desperatis caussis, consilia, & auxilia quaesituri, coelum ubi nequeunt, Acheronta movere nulli dubitant. Simplicis ille animi, & suae negligens salutis putabatur, in ipso subinde Dei quondam populo; uti in gentibus aliis, oraculorum suorum fama turgidis, qui non omnibus suis, etiam pessimis, moliminibus Prophetae seu Vatis alicujus effatum, ut a propitio quodam Numine prolatum, obtendere, & in aliorum perniciem torquere, sciebat. Extitisse enim talia, & non sine magna vulgo divinitatis existimatione, χρηστήρια Diabolica, ad dementandos homines inventa; eisque turpiter inservientia vesana hominum propudia, excusso omni Dei metu, familiare Ejus commercium, Spiritum sibi Divinum intus loquentem, & futura occultaque revelantem, mala fide asserentium, Divina loquuntur & humana rerum gestarum monumenta. PSEVDOPROPHETARVM hoc erat omnino proprium & perpetuum simplices fallendi studium, a summo sanctissimoque Numine severe prohibitum, a supremo quoque Magistratu interdictum, bonis proinde omnibus, solidae pietatis defensoribus, prudenter declinandum. Quare & nos, post aliorum curas, non inutilem hanc speravimus operam: si, quae de *Pseudoprophetis*, eorum variis generibus, criteriis, caussae cognitione, judiciis, & ad ea spectantibus, apud veteres observari solitis, in sacris & antiquis Ecclesiae tabulis, & Virorum fide non indignorum scriptis, traduntur, historico

 descri-

deſcripta ſtylo, & publico ſubmiſſa diſquirentium examini, Tecum, Benevole Lector, communicaverimus. Faxit Deus O. M. Prophetarum ſummus Dux & Lux, Via, Vita, Veritas noſtra, ut hoc, quicquid eſt laboris noſtri, cedat ad ſanctiſſimi ſui Nominis gloriam, mendacium confuſionem, & noſtram in vero illo Prophetico Verbo πληροφορίαν.

§. II. Pſeudoprophetae Θεοπνεύστοις, & claris in Eccleſia Viris, cluent, qui, cum veri & veraces non ſint Prophetae, videri tamen percupiunt, induentes, fallendi animo, Divini venerabilem Prophetae perſonam. Conf. Matth. VII. 15. XXIV. 11. 24. nomen adepti παρὰ τοῦ ψεύδεσθαι ἐν τῷ προφητεύειν; quo ſenſu ψευδόχριστοι, ψευδοδιδάσκαλοι, ψευδάδελφοι, & falſi nominis perſonam agentes, (ut apud Lucianum ψευδοσοφιστὴς, *qui falſo Sophiſtae nomen uſurpat,*) ψεῦσται Graecis nominari ſolent. Ita qui ψευδάγγελος dictus Homero, Iliad. O. 159. Heſychio eſt ψευδῆ ἀγγέλλων. Synonymum fere Pſeudoprophetae ψευδόμαντις eſt apud Suidam; ψευδομαντείαν & ψευδομαντεύεσθαι dixerunt alii plures. ψευδοπροφήτην vero primi nominaſſe videntur οἱ Ο. in Jer. VI. 13. XXVI. 7, 8. 11. 16. XXVII. 9, 10. XXIX, 1, 15, 16. Zach. XIII. 2. Jonathane Paraphraſta & R. Salomone נביאי שקר ſ. נביאיא דשקרא id eſt *Prophetae falſitatis, mendacii, falſi,* Pſeudoprophetas optime reddentibus: licet enim in authentico, locc. citt. ſcriptum legatur נביא *Propheta,* vel נביאי *Prophetae,* ἁπλῶς; intelligendum tamen id eſſe καταχρηστικῶς, & κατ᾽ ἄνθρωπον, conſueta hominibus phraſi, omnia ſuadent: quaeſtui enim deditos, שקר *falſo* agentes, vero reſiſtentes Prophetae, שקר נבאים *falſa vaticinantes,* de mendacio convictos, morte aliisque a Sanctiſſimo Numine poenis affligendos, Prophetas veros fuiſſe nemo ſanus dixerit. Abutebantur itaque vani, & ſomniorum deliriis attendentes, impoſtores, ut veſtibus, geſtibus,

dictis

dictis, factis; ita & titulis atque honoribus genuinorum, de externis istis minus solicitorum, Prophetarum, מגידים העתידות לדעת המאמינים בהם *futura praenunciantes*, uti Kimchius loquitur, *ad opinionem confidentium in ipsis*. Talis utique intelligendus Hos. IX. 7. אויל הנביא משגע איש הרוח *Stultus Propheta insanus vir Spiritus*, & Michae II. 11. לו איש הולך רוח ושקר כזב *si vir ambulans Spiritus & mendacii mentitus fuerit*, איש pro פלוני ὁ δεῖνα, & רוח pro ברוח acceptis; nisi potius, quod malim, ר״ל איש הולך רוח *si ambulans vir*, sensu satis perspicuo: estque per ἓν διὰ δυοῖν רוח ושקר *spiritus falsus*, significanter dictus, utpote cujus effata ad instar unius actus non nisi *falsitas* sunt. Mirum quantum a vero hic abludat Vulgata Versio: *Utinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potius loquerer, stillabo tibi in vinum & in ebrietatem, & erit super quem stillatur populus iste*. alium, sed non meliorem, sensum stillat Graeca LXX. Κατεδιώχθητε οὐδενὸς διώκοντος· πνεῦμα ἔστησε ψεῦδος, ἐστάλαξέ σοι εἰς οἶνον καὶ μέθυσμα· καὶ ἔσται ἐκ τῆς σταγόνος τοῦ λαοῦ τούτου, *fugistis nemine persequente, spiritus statuit mendacium: stillabit tibi in vinum & ebrietatem, & erit de stilla hujus populi*: Sane longe melius Targum Jonathanis: על דטעו בתר נביי שקרא דמתנבן להון רוח דשקר ומלפין להון לחמר ולרווי ויהי כמא דאליפו למטעי בתר נביי שקרא כן יגלון לארעא דשקרא עם דרא הדין׃ quae verba (aliter atque in Polyglottis Londinensibus) ita vertenda esse censeo: *quia errabant sequendo Pseudoprophetas, vaticinantes illis spiritu falso, & docentes eos pro vino & sicera; quasi docuerint errando sequi Pseudoprophetas, & sic migraret in terram mendacium populus generationis hujus*. Sed quid מטיף ויטיף *stillabo, stillans*? uti commate sexto אל תטיפו *ne stilletis* veri Prophetae יטיפון *stillent* pseudoprophetae, sed לא יטיפו לאלה *non stillent*

 sicuti

sicuti isti veri: phrasi autem Hebraica נטוף מלה *stillare verbum*, est *proferre sermonem*; *prophetare*, *docere*, Conf. Deut. XXXII. 2. Jobi XXIX. Ezech. XXI. 2. ut sensus sit: *Si ambulans Vir Spiritus falsi mentitus fuerit, dicendo: prophetabo tibi pro vino & pro sicera, talis erit Propheta populi hujus.* ל enim, inter alia multa, etiam *pro* denotare, constat; vid. loca Gen. XLVII. 24. Exod. XII. 24. Lev. XVI. 8. Num. XXXII. 16. Deut. III. 22. Sed inde patebit etiam, non unum tantum Prophetae munus, quod est *futura praedicere*, sed & alterum, *docere* populum, quid faciendum omittendumve putent, affectasse pseudoprophetas. Vtrumque significant, quas diximus, voces מטיף, מלפין, ex Targumistae Paraphrasi. Idem quoque docet vox נביא indeque ductum verbum התנבא de pseudoprophetis, uti supra vidimus, καταχρηστικῶς, sed de veris & θεηλάτοις plena emphasi, acceptum, ut ejus monstrabit Etymologia in sequentibus.

§. III. Apposite sane apud Hebraeos ὄντως *Propheta* נביא *Nabhi* appellatur: sive, ut vult Fagius, a (בוא) *veniendo*, frequenti ad Deum accessu, &, internuncii munere, ad homines reditu; sive a (בין) *intelligendo*, quod res futuras, ab aliorum cognitione remotas, salubres pariter & noxias, ex Divina revelatione, discernere, aliosque docere, intelligat; sive denique, quae mihi potior est, R. Salomonis sententia, a (נוב) *germinando*, *fructum ferendo* (unde ניב שפתים *sermo, fructus, labiorum*, Esai. LVII. 19.) quod ad nobiliorem speciem, superiorem revelationis ac doctrinae gradum assurgant, & dicenda abunde proferant ἔνθεοι Prophetae, vid. Ps. XCII. 15. Prov. X. 31. Inde voci נב vel נבי si א ex אלהים decerptum jungas, נביא *Nabhi* erit ἐμφατικωτάτως, qui *Deum*[illegible]*ique verba loquitur, ad uberrimum concionis fructum*, revelata proponit, & ad fidem moresque spectantia docet. Ejusmodi enim literam ἐπίσημον in forman-

formandis Hebraeorum nominibus fini accedere, haud raro observatur, v. gr. ex אבי *Abbi* 2. Reg. XVIII. 2. fit אביה *Abbia* Viri, 1. Chron. VII. 8. 1. Sam. VIII. 2. & 1. Chr. II. 24. 2. Chron. XXIX. 1. mulieris nomen, ejusdem *Abbi* & *Abbia* dictae, matris Hiskjae Regis, ex אבי *pater meus* & ה Tetragrammati, vel יה proprio Dei nomine; ex יורה י״י *projicit Dominus*, יורי *Jorai*; ex אחיד יה *unicus est Dominus* אחיה Achia, & sim. Potior, inquam, haec mihi est derivationis & compositionis ratio, etiam illa Aben Esrae, a verbo נבא *prophetavit, vaticinatus est*, nomen illud deducentis: praepostera methodo, ob graviorem Verbi formam (*Nibba* in *Niphal*, deficiente forma *Kal*) & simpliciorem atque natura priorem nominis significatum: sicuti melius ab און *auris* אין *auribus percepit*, ab עין *oculus*, עיין *oculis observavit* derivatur, quam vice versa haec ab illis. Actionem enim ab agente profectam & in subjecto receptam notat נבא hoc est *revelata proferre, dictata monere*. Haec quos divinitus fecisse deprehendimus, veros Prophetas ut agnoscamus necesse est; caeteris, κακοζηλίας studio abreptis, in sequiorem Pseudoprophetarum classem rejectis. Memini heic me legere, Virum quendam Doctissimum Prophetas veros a falsis e differente in sacris literis Verbi forma הנבא & התנבא discernere, illam prioribus, hanc posterioribus vindicando; sed subtilis magis quam solida est illa distinctio. Accipitur enim התנבא etiam de veris prophetis, uti de Ezechiele, Ezech. XXXVII. 10. & de illis LXX. Senioribus in deserto, Num. XI. 25. minime tamen inficias eo, hanc formam de Impostoribus, Prophetas se fingentibus, ut 2. Chron XVIII. 9. Jerem. XIV. 14. XXIX. 26. Ezech. XIII. 17. Zach. XIII. 4. adhiberi, & alias non raro simulationem significare, uti התאבלי *finge te lugere*; מתאבלת *simulans lugentem*, 2. Sam. XIV. 2. יתהולל *simulabit se stultum esse*, 1. Sam. XXI. 13. מתנכרת *simulans*

se

se extraneam esse, 1. Reg. XIV. 5. מתעשר *simulans se divitem esse*, Proverb. XIII. 7. & מתרושש *simulans se pauperem esse*, ibid. Nec magis probamus distinctionem inter veros ac falsos Prophetas, quaesitam e collecto apud Talmudistas verorum numero, Gem. Megill. fol. 14. col. 1. תנו רבנן ארבעים ושמונה נביאים ושבע נביאות נתנבאו להם לישראל ולא פחתו ולא הותירו על מה שכתוב בתורה *quadraginta octo prophetae & septem Prophetissae prophetarunt Israelitis, nihil detrahentes, nihilque addentes verbis in lege scriptis*; exque eorum censu & ordine sequentes: Ante Legem latam, *Adamus*, *Noachus*, *Abrahamus*, *Isaacus*, *Jacobus*, *Josephus*. *Jobus*, *Bileamus*, sub Lege, *Moses*, *Aharon*, *Eldad*, *Medad*, *Josua* (ille 1. Sam. II 27.) *Samuel*, *Nathan*, *Gad*, *David*, *Salomon*, *Abia Silonites*, *Semaia*, *Iddo*, *Asaria*, *Oded*, *Anias*, *Jehu*, *Elias*, *Michas*, *Jehaziel*, *Eliezer*, *Elisa*, *Zacharias filius Jojadae*, *Oded*, *Urias* *Jonas*, *Hoseas*, *Amos*, *Joel*, *Jesaias*, *Michas*, *Nachum*, *Habacuc*, *Obadias*, *Zephanias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Hagai*, *Zacharias*, *Malachias*. Prophetissae: *Sara*, *Mirjam*, *Debbora*, *Channa*, *Abigail*, *Chulda*, & *Esther*. Ubi quosdam resecandos esse, Danielem vero aliosque in eorum locum restituendos, pluribus docebimus inferius, suo loco: memorantur & anonymi Prophetae, 1. Reg. XX. 35. nec sunt excludendi futura praedicentes Prophetarum filii, 2. Reg. II. 3. neque supra indicati omnes sunt inter illos שהוצרכה נבואה לדורות נכתבה ושלא הוצרכה לא נכתבה *quorum prophetia necessario scribenda erat ad doctrinam seculorum*; sed aliorum Prophetarum, quorum נבואה שלא הוצרכה לא נכתבה *prophetia non necessaria* ad doctrinam sequentium temporum *non scripta est*, ingentem fuisse multitudinem, nequaquam intercedo; *αὔξησις* tamen est, quando dicunt הרבה נביאים עמדו להם לישראל כפלים כיוצאי מצרים *duplo majorem Prophetarum, quam exeuntium ex Aegypto Israelitarum, numerum fuisse*, uti legitur in Tract. Gem. Megilla, Cap. 1. p. s. c. Conf. Raf. Alphes. f. m. 302.

§. IV.

COROLLARIA.

I.

QVamvis primo illo Protoplastorum lapsu imputato & inhaerente non voluntatem modo humanam depravatam, sed & intellectum, identitate subjecti, obtenebratum esse, firmiter teneamus: nihilo tamen minus Rationem rectam superesse, hancque suo ordine audiendam, &, non minus ac legitimum sensuum testimonium, admittendam esse statuimus. Rationis enim & hoc est: Omnia, quae Deum revelasse certo cognoscimus, etiam si supra rationem sint, pro veris habere.

II.

Fuisse Seculo V. p. C. n. aliquam Praedestinatianorum haeresin in Ecclesia Christiana notam & exosam, purum putum figmentum est: sed, veram de Praedestinatione doctrinam, juxta S. Augustini sententiam, eo nomine ab Adversariis fuisse traductam, liquido satis demonstrari posse existimamus.

III.

Sed in eo de Praedestinatione Christianae Doctrinae articulo S. Augustini, Lutheri & Calvini una eademque fuit e S. Scriptura sententia.

IV.

Veram & realem praesentiam Corporis &

Sanguinis Christi, in, cum & sub pane in usu Sacramenti, cum ita explicent e Protestantibus Lutherani, ut nec in Ubiquitatis Doctrina, sed in Christi verbis institutionis, & S. Pauli declaratione, ejus fundamentum ponant: neque Consubstantiationis figmentum, h. e. physicae sive localis alicujus inclusionis corporis Christi in pane somnium, statuant: Reformati vero pariter veram & realem Corporis & Sanguinis Christi praesentiam, & fruitionem Sacramentalem, constanter doceant: eundemque insuper Sacramenti finem & scopum utrinque pie credant: non tantam sententiarum differentiam, quae vel charitatem laedat, vel spem conciliationis omnem, cum Deo & die futuram, praescindat, superesse putamus.

V.

Siquidem in Doctrina de Persona Christi nec Lutherani Eutychianismi, nec Reformati Nestorianisimi sunt accusandi.

VI.

Quin & omnem Ecclesiarum Protestantium differentiam articulos salutis fundamenta spectantes non attingere, summorum Virorum testimoniis, & rationibus quam plurimis, Historia Ecclesiastica docet.

TANTUM!

DISSERTATIO PHILOLOGICO-HISTORICA,

DE

PSEUDOPROPHETIS,

SECUNDA,

QVAM

PRAESIDE

J. JOACH. SCHRÖDERO,

Hiſt. Eccleſ. & Lingg. Sacr. atque Orient. Profeſſore Ord. Acad. Bibliothecario,

PRO BIENNALI SPECIMINE,

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO,

Proxima VIII. Martii MDCCXX,

Horis conſuetis

In Publico Doctiſſ. Dnn. COMMILITONUM conſpectu

Defendendam ſuſcipit

ABRAHAM Luttringhauſen/

Borcka-Haſſus.

MARBURGI CATTORUM.

Tvpis, PHILIPPI CASIMIRI MüLLERI, Acad. Typogr.

VIRO

Admodum Reverendo atque Doctissimo

DN. JACOBO Stirn

Verbi Divini in Urbe Borckana Præconi Facundissimo & ejus Districtus Metropolitano dignissimo.

Ut &

Nobilissimo atque Praestantissimo,

DN. ABRAHAMO Kuhn/

Ejusdem Civitatis Quaestori

Dignissimo;

Denique

Dnn. Consulibus & Consularibus

Reliquisque totius ordinis Senatorii Membris Spectatissimis

Patronis suis obsequiose colendis.

Hoc Specimen Academicum

D. D. D.

Abraham Luttringhausen/

Respondens.

§. IV. Jam & τῦ Προφήτȣ *Prophetae* nomen apud Graecos & Latinos quid significarit, paucis saltem, expendendum erit: ut posthac, oppositorum lege, quinam Pseudoprophetarum nomine veniant, planius & plenius intelligere queamus. Deductum id esse a πρόφημι *praedico*, etiam tirones norunt; ac proin homines futura praedicendi facultate donatos, Dei, Deorumve, ut loquuntur χρηστηρίοις admotos; quin & e Numinis revelatione ac instinctu praeterita non minus, quam futura, arcana quaevis, ϗ τὰ πρὸς ἔθη, monentes, Auctorum usu significat: Siquidem ista Lachesin, illa Clotho, haec Atropon curare, & προφήτην τινὰ ἐν τάξει διαστῆσαι *Prophetam quendam in ordinem redigere* seu administrare, *Plato* dicit *de Rep. Lib. X.* Idemque hominem, per otium considerantem sibi electam vitae sortem, introducens, illum, inquit, deplorasse electionem noxiam ὐκ ἐμμενόντα τοῖς προῤῥηθεῖσιν ὑπὸ τῦ προφήτȣ *quod non perstiterit in iis quae a Propheta erant praedicta.* Idque muneris etiam foeminas gessisse, maxime, quae celebrabantur ἥτε ἐν Δελφοῖς προφῆτις, αἵτε ἐν Δωδώνῃ Ἱέρειαι, *Vates Delphica, Dodonaeaeque Sacerdotes*, idem testatur *Plato in Phaedro.* Vides ergo, Gentiles τῦ Προφήτȣ nomine honorasse, quos tunc Dei, vel Deorum, commercio de rebus arcanis vera nosse, & praedicere posse, existimabant. Sed hos etiam ordinarios fuisse sacrorum mystas, ἱερεῖς *Sacerdotes*, de illis Jovis Ammonis Sacerdotibus testatur Plutarchus; quorum ritus ut Plato cognosceret, Aegyptum adiverit, *Apulejus* auctor est de *Dogm. Plat. Lib. I.* quos in magna vulgo aestimatione habitos fuisse, idem testatur dicens: *veluti Prophetae quidam Deorum majestate completi effantur*, sub princ. *in lib. de Mundo.* Hi Munere quoque suo in varios ordines s. gradus distincti, ut fas est colligere ex illo *Zachia Aegyptio*, *Pro-*

pheta primario 2. Metam. p. 127. Sunt qui putant, eos & Ὑποφήτας fuisse dictos, qua voce usus Homerus, Iliad. π. 235.

Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται, ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι

Ubi Scholiastes Vetus, Ὑποφῆται, inquit, ὑπομάντεις, ἱερεῖς· ὅ ἐστι χρησμῳδοὶ, Θεολόγοι, προφῆται. Et subjungit: ὑποφήτας γὰρ λέγουσι τοὺς περὶ τὰ χρηστήρια ἀσχολουμένους, καὶ τὰς μαντείας γιγνομένας ὑπὸ τῶν Ἱερέων ἐκφέροντας. Sed minus bene ὑποφήτας ibi mox per Ἱερεῖς, Προφήτας, exponi; mox ἐκφέρεσθαι τὰς ὑπὸ τῶν Ἱερέων μαντείας γιγνομένας de iisdem praedicari, nemo non videt. Differentiam igitur inter Prophetam & Hypophetam eandem, quam inter Πρωτόμαντιν & Ὑπόμαντιν, constituendam, & hunc illi junctum vel substitutum fuisse, non ipsius modo vocis etymon satis indicat, sed & Hesychius testatur: Ὑποφῆται, μάντεις· προφῆται, Ἱερεῖς, διερμηνευταὶ, χρησμολόγοι. Hypophetas vero, μάντεις dictos, cum Prophetis confundentes ipse *Plato* τὸ πᾶν ἠγνοηκότας *totam rem ignorare*, asserit *in Timaeo*. Ergo *subito utores* fuerunt *Hypophetae*, *sub Propheta* seu vate loquentes, ejusque πρόφαντον, ministri ad instar sacri, ad populum deferentes: quo nomine *Gechazi* haud incommode *Elischae* Hypopheta diceretur, ex 2. Reg. V. 10. 20. Est quidem ubi τοῖς τῶν ἀδύτων Ἱεροφάνταις Προφῆται junguntur, συνωνύμως, utrisque futura praedicentibus, Clement. ὑποβολ. Homil. I. c. 5. Ita tamen ut ea, non gregariorum more Vatum, μάντων quorumcunque μανικῶν, ex imaginaria quadam artis alicujus scientia, oscinio, extorum inspectione, augurio ὀρνιθομαντείᾳ. & sim. cognovisse; sed quae mens eorum Θείῳ ψυχῆς ὄμματι τὰ Θεῖα καταλαβοῦσα, τοῖς τε ἀνθρώποις προφητεύουσα, *divinis adsueto animae oculo comprehendens, & hominibus prophetans*, uti Aristot. loquitur, *lib. de Mundo* divinitus acceperit, effari crederentur. Μάντις autem recte Pla-

to-

toni *in Phaedro* ἀπὸ τȣ̃ μαίνεσθαι *a furore* quo correptus vaticinabatur, dictus, ut Deorum mentem,& quid factu sit opus, inveniret, artem vaticinandi exercebat, ut ait Philosophus *in Minoë*: artem scilicet τῇ ἀφροσύνῃ ἀνθρωπίνῃ δεδομένην *insipientiae humanae concessam*, ut idem *in Timaeo*: usu tamen ἀμφίβολος, pro vario sive objecto sive fide, epithetis restringendus; è quorum praestantioribus οἱ Θεομάντεις *Divini vates*, qui, licet optimi illorum putabantur, nihilo tamen minus ȣ̃τοι λέγȣσι μὲν ἀληθῆ, κ̀ πολλὰ, ἴσασι δὲ ȣ̓δὲν ὧν λέγȣσι *vera quidem & multa dicebant, sed nihil eorum intelligebant*, quod dicit idem Plato *in Menone sub fin.* Sic quoque ὀρθόμαντις *recte vaticinans* & Κλυτόμαντις *vaticiniis clarus* apud Pindarum: & contra Κακόμαντις ap. eund. ψευδόμαντις apud Suidam, leguntur: & quidem de utroque sexu adhibitum invenitur vocabulum. Quoniam non tantum memorantur

--- Μάντιες ἄνδρες
Ἐμπύροις τεκμαιρόμενοι --- i. e.
Vates Viri
Incensis victimis explorantes,

apud Pind, ὀλυμπ. ή. 3. 4. Sed & Foeminae vaticiniis clarae, uti Πρόμαντις illa Oraculi Delphici Antistes, ap. Luc. in Hermot. Apud LXX. vero S. Scripturae interpretes id semper pejori sensu accipitur; de veris autem Prophetis nunquam dicitur: hi enim falsos potius ψευδοπροφήτας appellant, quod Dei quidem nomen in suis praedictionibus mentiti, non tamen ferales illas artes μαντικὰς, saltem non semper, exercuisse videantur. Eodem modo Sacri Authentici Scriptores N. T. Prophetas eos tantum, qui in rei veritate tales erant, asseverantibus etiam, ἀληθῶς vel ὄντως, particulis adjectis; falsisq; Dei O.M. nomine abutentibus, ψευδοπροφητῶν epitheto distinctis, Gentilium vates μαντεύεσθαι, uti illam Act. XVI. 16. dixerunt. Adeo ut Apostolus illum Cretensium vatem ho-

notatiore appellatione dignaturus, notanter eum τὸν ἴδιον αὐτῶν Προφήτην nominaverit, Tit. I. 12. sive ille Callimachus Cyrenensis fuerit, in cujus hymno in Jovem hoc est hemistichium.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, *Cretenses semper mendaces*

addita ratione καὶ γὰρ τάφον, ὦ Ἄνα, σεῖο

Κρῆτες ἐτεκτήναντο, *siquidem sepulchrum*

O Rex, Jupiter, *tuum Cretenses se possidere* mentiuntur. Sive, ut alii, vetustior illo Epimenides Cretensis, plerisque Veterum encomiis celebratissimus, Platoni ἀνὴρ θεῖος κατὰ τὴν τοῦ Θεοῦ μαντείαν, θυσίαστε ἐθύσατό τινας, ἃς ὁ Θεὸς ἀνεῖλε *Vir Divinus juxta praedictionem Dei, victimas quasdam mactavit, quas Deus suscepit*: Cujus & vaticinium de infelici Persarum trajectu in Graeciam ab eod. refertur, de Legib. lib. I. & reales Prophetias protulisse, *ibid.* lib. III. sub init. Γνωστικώτατος *rerum peritissimus* Laertio in ejus vita; Θεολόγος Diod. Sic. Lib. 5. Θεοφιλὴς καὶ σοφὸς περὶ τὰ Θεῖα, τὴν ἐνθουσιαστικὴν καὶ τελεστικὴν σοφίαν *Dei amans & sapiens in rebus divinis, Fanaticis & mysticis* Hieron. quidem Comment. ad loc. inquit: *sive illudens* Prophetam *vocavit, sive verè, quia de oraculis scripserit atque responsis, quae & ipsa futura praenuncient, & ea quae ventura sunt multo ante praedicant. Denique ipse liber Oraculorum* (περὶ τῶν χρησμῶν) *titulo praenotatur.* Conf. Erasm. Annot. ad loc. Sed cum non apud Ciceronem tantum *per furorem vaticinatus* legatur *de Divinitat. lib. 1.* verum etiam Apulejo *in Floridis* p. m. Edit. Wech. 352. *inclutus Fatiloquus & Poëta* dicatur, & qui καθαρμοὺς διὰ τῶν ἐπῶν ἐποιήσατο, ut Strabo de eodem testatur, lib. 10. quidni & Προφήτην, Dionis Chrysostomi verbo usus, ex ipsorum consuetudine Cretensium, & ad eorund. confusionem dixerit S. Paulus. Ita enim οἱ Ποιηταὶ *Poëtae*, quorum frigescere carmina putabantur, nisi fervore

vore & furore ἐνθέῳ agitati, & incalescentes ἔκφρονες viderentur, pro divinis habentur, ut *Plato* habet *in Jone*; & *lib. III. de Legibus* idem diserte ait Θεῖον γὰρ ὂν δὴ καὶ τὸ Ποιητικὸν ἐνθεαστικὸν ὂν γένος, ὑμνωδοῦν πολλῶν τῶν κατ' ἀλήθειαν γιγνομένων ξύν τισι χάρισι καὶ Μούσαις ἐφάπτεται ἑκάστοτε *Poetae enim, divinum genus, divino quodam numine afflatum, canendo, plurimarum rerum, quae revera extiterunt, rationes cum gratia quadam atque venustate saepenumero commemorant.* Ideoque Θεῶν παῖδες Ποιηταὶ καὶ προφῆται τῶν Θεῶν γενόμενοι Eidem asseruntur *de Rep. lib. I'.* Indeque & Προφῆται & Μάντεις promiscue dicti sunt Poetae, quod utrumque epitheton Tiresiae tribuit Pindarus Nem A.

90. Γείτονα δ' ἐκκάλεσεν, Διὸς ὑψί-
στου Προφάταν ἔξοχον,
Ὀρθόμαντιν Τειρεσίαν. Ὁ δέ οἱ
Φράζε καὶ παντὶ στρατῷ
Ποίαις ὁμιλήσει τύχαις. i. e.

Vicinum vero evocavit, Jovis altissimi Prophetam eximium,
Vera vaticinantem Tiresiam. Ille vero ei
Dicebat, & omni turbae praesenti,
Qualibus cum conflictaturus esset fortunis.

§. V. A Graecis acceptum, sua civitate donarunt Latini, ἐμφατικὸν *Prophetae* vocabulum. Veros quidem Prophetas non magis noverunt Romani, atque Gentiles Graeci, ante susceptum Christi Domini cultum. Sed quos pro veris habebant, Deorum Interpretes, Divinos, Vates, ac Sacerdotes, vulgo appellasse novimus. Cicero sane in libris de Divinationibus, & alibi, omnem futurarum rerum praedictionem, quin & ex causis vero non dissimilibus de futuris prudenter ratiocinantes, haud raro *Divinos* promiscue nominat; & tum alios, tum semet ipsum, subinde *divinare*

dicit: sed quando *divinandi* statuit genera duo, artis & naturae; instinctuque aliquo, & inflatu divino futura praenunciari asserit, & discernit ab opinabili divinatione: istum homini (Θεομάντει,) a diis immortalibus datum, divinationem, scientiam utilem; hanc *Vatibus*, hariolis, varioque incerti Conjectoris ingenio tribuendam, censet. Nec est, ut mox omnem admittere, mox damnare, saltem suspectam habere, divinationem putes summum & Oratorem & Philosophum, nunc Quinctii fratris, & aliorum, nunc suo locutum judicio, ut suo loco dicemus uberius: id modo heic notasse sufficiet, quod non omnem, quam dicebant, Θεομαντίαν, negasse Tullium, ex profunda eruditione refertis ejus de Deorum natura libris, nemini non possit esse satis manifestum. Tarquinius Priscus augurem suum, cujus tamen artem eludebat, *Divinum* appellat, *ap. Liv. l. 36.* Et illustris ille Marcius *Vates* nominatur, *Ibid. XXV. 12.* Sexcentis apud Auctores exemplis. Nempe *Divini* & *Divi*, ἐκ τȣ̃ Διὸς esse aut loqui; *Vates* vero *fari*, *pr fari* optime, quae in *fatis* essent eloqui, putabantur: unde *Fata*, inquit, *cano Vates*, Silius Ital. IX. 61. Hi futura pandebant, Acrot. Plaut. in Mil. 3. 3. 37.

Bonus Vates poteras esse, nam quae sunt futura dicis.

Etiam foeminae, ut *Vates Sibylla*, apud Virgilium, Aeneid. VI. 211. Iidem & *Sacerdotes* audiunt, quod *sacra* diis *dona* offerrent, & consueta sacra peragerent initiati, vid. Plin. lib. II. Ep. 1. IV. 8. & Lucan. I. 597.

Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos.

Illustris hanc in rem est locus, id genus hominum, ex vulgi opinione pulcherrime describens, in Priamiden Helenum, ap. Virg. Aeneid. III. 358.

His Vatem aggredior dictis, ac talia quaeso.
Trojugena, interpres divum, qui numina Phoebi

Qui-

Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & praepetis omina pennae,
Fare age, ...

Unde mox sequitur, v. 373.

Atquae haec deinde canit divino ex ore Sacerdos.

Poëtas apud Graecos iisdem saepe numero Prophetae, vatis, ac Sacerdotis nominibus ornari, ex Platone, aliisque, supra probatum dedimus: De Latinis itidem hoc videtur asserere Cicero, de Oratore lib. II citatis Platonis verbis: *Poëtam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse, & sine quodam afflatu furoris*, ut nimirum communis appellationis rationem subinnuat. Testaturque Ovidius de se, & suae sortis hominibus in trito illo:

Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli,
Sedibus aethereis spiritus ille venit.

Ex hac causa est, quod Horatius Carm. Lib. II. ad Maecen. Od. XX. de se ipso scripserit:

Non usitata aut tenui ferar
Penna biformis per liquidum aethera
Vates.

Idemque *Musarum Sacerdotem* sese nominat Carm. lib. III Od. I.

... Carmina non prius
Audita, Musarum Sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

Et de Orpheo Thracio Virgilius canit, Aeneid. VI. 640.

Nec non Threicius longe cum vesta Sacerdos.

Speciale est quod Accius, Tarquinii augur, teste Livio, l. c. dictus fuerit cognomento *Navius*; procul dubio ex Hebraeorum נביא *Navi*, prophetae affectans cum nomine famam. Parum abest, quin idem dicam de *Naevio* illo, uno ex vett. Poëtis Scenicis, cujus exstant nonnulla de bello Punico fragmenta; maxime, quod ille ipse subinde & *Navius* scriptus reperiatur: an vero hic unus & idem sit cum *Novio* scenico Poëta, post Terentium qui ab aliis vixisse putatur, jam

non determinamus. Sed Prophetae vocabulum e profanis Latinorum Scriptoribus, primi, quantum novimus, scriptis reliquerunt Apulejus Mad. & S.P. Festus, ille sub Antonino Pio, hic, Vossii judicio, sub Christianis demum Impp. clarus; illius testimonia superius §. IV. dedimus: hujus verba exstant Lib. XIV. de verborum signif. *Prophetas in Adrasto Julius nominat Antistites fanorum, oraculorumque Interpretes:*

Cum capita viridi lauro velare imperant
Prophetae, sancta ita caste qui putant sacra.

Sed Jos. Scaliger omisso *ita*, legere contendit *purant*; G.J. Vossius eodem modo, sed voci *sacra* substituit *loca*; mallem tamen *parant sacra* ibidem legere, sensus & metri ratione. His calculum suum addit Macrobius lib. VII. Sat. c. 13. *Adeo verum ita, ut dicis Aegyptios opinari, ut ego Sacerdotes quos Prophetas vocant, cum in templo vidissem, &c.* Sed Patres & Poëtae Ecclesiastici de vere divinis frequentissime, quorum, ut ait Tertullianus adv. Marcion. lib. I.

Dicta Prophetarum factis impleta probantur.

Sed lib. II. idem ille Pater & Poëta hos ipsos veros Prophetas *Vatum* nomine compellat, ut: *Esaias Vates* - -
Et postquam omnes S. Canonis H. Prophetas recensuisset, hoc Epiphonemate claudit: *Hi Vates Domini* - -
Hunc vero promiscuum vocum usum ex metri necessitate fluxisse, manifestum erit, inspicienti tum ipsum Tertullianum, in prosa oratione scriptis libris; tum Lactantium, Hieronymum, Augustinum, reliquos, de genuinis Dei Legatis *Prophetae* nomen tantum non semper adhibentes. Ex his saltem, quinam נביא προφήτης, *Propheta*, jure suo, injuriave, & potius Pseudopropheta antitheseos ratione, dicatur; quae vocum illarum emphasis, & usus quandoque promiscuus, nomine tenus puto constabit: patebit autem magis, si, quae de horum criteriis dicentur in sequentibus, conferre, Benevole Lector, non gravaberis.

CA-

COROLLARIA.

I.

PEssima est illa Vulgatae Versionis translatio Genes. III, 15. הוא ישופך ראש pro ipse habens ipsa conteret caput tuum.

II.

Sed nec illa Mosis verba Genes. III: 22. הן אדם היה כאחד ממנו τῶν Ο· Ἰδοὺ Ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν satis commode reddit ead. Vulg Versio: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.

III.

Paradisus, in quo Protoplasti recens conditi ab ipso Deo constituebantur, non nisi in Armenia majore quaerendus est.

IV.

Esum carnium πρὸ κατακλυσμοῦ viguisse negamus.

V.

Illustre illud Fl. Josephi Historiographi Iudæi de Christo testimonium, neque totum genuinum, neque totum ὑποβολιμαῖον esse asserimus.

VI.

Illam Isaaci Peyrerii hypothesin de Praeadamitis, ex Pauli Apostoli ad Romanos Epistola Canonica, Cap. V. Commatibus 12, 13, 14. exsculptis, & fabulosa priscarum gentium traditione incrustatis, neque recta ratio-

tione probari, nec ullo saci
tanquam vanam, futilem
re Apostata ejuratam, r
esse censemus.

ΠΡΟΣ

Diligentiae, Pro
Laude
Virun
Doctiss. Dn. RE

NOn est exiguæ Vatum dis
Molis, & obscuris teneb
Quae gens fatidicis venientia
Explicet, & superûm pandat
Quæ sit vis illi, quô mens sit
Spiritus an ductus divino flan
Dæmonis aut pravi stygio fu
Dicere, laudis opus celebran
Hoc tua persequitur, doctâ c
Pagina, quæ tollet claras ad S

ullo sacrae Scripturae testimonio; sed
futilem ac falsam, ut ab ipso aucto-
tam, rejiciendam & proscribendam

ΟΣΦΩΝΗΜΑ.

Ad

e, Probitatis ac Modestiae

Laude conspicuum

Virum-Juvenem

n. RESPONDENTEM.

Vatum disquirere fata,
ris tenebris affundere lucem
venientia secula dictis
pandat secreta Deorum,
mens sit concita motu,
ivino flamine olympi,
stygio furore repletus,
celebrandum fama loquetur:
, doctâ conscripta Minerva,
laras ad Sydera laudes.

Testificandi affectus ergo
I, W, Opp,